

arduis maxime est petenda; neque contemnda illa quæ fit a sacerdotibus, Christi vicariis. Si enim promisit olim Num. VI. Deus se benedicturum hominibus, quibus benedixerint filii Aaron; cur non idem de sacerdotum benedictione credendum; certum enim est nullis eam profuisse, uti comiti a Monfort data a Cominæo episcopo: mox enim classicum canens cum octingentis militibus fugavit exercitum Aragonum ad viginti millia militum habentem: hac accepta a Pio V. pontifice Joannes de Austria nobilissimam victoriam reportavit de Turcis ad Echinadas, ubi captæ Turcarum triremes centum octoginta, incensæ viginti, depressæ totidem; tribus horis quibus pugnatum est, cæsa Turcarum viginti quinque millia, in his magnus Bassa: Christiani recuperati ad viginti millia, anno Domini 1571. die 7. octobris. Contra vero qui eam contemnunt, accipiunt pro benedictione maledictionem, uti legatus Palatini comitis in comitiis Augustanis, anno 1539. qui celebrante Otthone cardinale et episcopo Augustano exequias Caroli V. imperatoris et benedictionem ei offerente in sacræ patinæ osculo, recusans audiit ab eo: *Si non vis benedictionem, habeto maledictionem.* Ita enim accidit; nam principis gratiam et liberos perdidit, et exul in paupertate mortuus est, Pontan. in art. bell. c. II.

IV. Quorsum ascendit? Resp. primo: *Ascendit super omnes celos*, inquit apostolus ad Eph. IV. primo, ut sicut in terra omnium infimum et contemptissimum habuit locum, in cruce nimirum inter latrones medium; ita et exaltatus habere omnium summum. Notum enim est tam alte ascendere aquam, quam profunde prius descendit, dixit aliquando Christus ipse exaltandum fore eum, qui in mensa novissimum occupat locum, auditorumque: *Amice ascende superius.* Hoc in ipso nunc impletum est. Quia enim in terra novissimum occupavit locum, et secundum Isaiam, cap. LIV. *novissimum virorum esse voluit*; ideo exaltari meruit super omnes celos et choros angelorum, audireque a cœlesti Patre suo: *Amice ascende superius*: ita apost. testatur ad Philip. II. *Humiliavit semetipsum, etc.*

Secundo, ut se probaret Dominum esse universorum, ipsumque velut regem in regia vel amphitheatro influere in membra et contueri omnia. Unde S. Ber. serm. II. de ascens. ait: «Cum se Dominum universorum, quæ sunt in terra et in mari et in inferno probasset, non restabat nisi ut aeris et cœlorum se esse Dominum argumentis similibus vel certe potioribus approbaret. Terra enim cognovit Dominum, quia ad vocem virtutis ejus, cum clamasset magna voce: Lazare veni foras, mortuum reddidit: cognovit mare, quia solidum se præbuit

sub pedibus ejus, ita ut apostoli eum putarent phantasma esse: cogitavit infernus, cujus ipse portas æreas et veteres: ferreos confregit.»

Secundo, ad dexteram Patris, quia æqualem cum Patre obtinet gloriam, et proinde summam potestatem et dominum tam ad operandum quam ad impetrandum omnibus creaturis et judicandum de omnibus hominibus. Itaque cœlestis Pater vocavit hodie Christum *Benjamin*, id est, filium dexteræ, quem prius synagoga mater ejus vocaret *Benoni*, id est, filium doloris, Gen. XXXV. Filius ergo est dexteræ, quia Patri charissimus, juxta id Cant. II. *Dexteram illius amplexabitur me*: filius dexteræ, quia in summa gloria, juxta id Psalm. CIX. *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis*: filius dexteræ, quia in summis cœlestis, juxta id Psalm. XV. *Delectationes in dextera tua*: filius dexteræ, quia in securo et æterno beatitudinis statu, juxta in Proverb. III. *Longitudo dierum in dextera ejus*: filius dexteræ, quia fortissimus noster auxiliator et defensor, juxta id Job XIV. *Operi manuum tuarum porrige dexteram*: filius dexteræ, quia possessor beatitudinis loci omnium electorum, quos ad dexteram constituendos expectat.

Tertio, ad sessionem, primo, tamquam ad potestatem judicariam: judicium enim est sedere.

Secundo, tamquam ad quietem et cessationem a præteritis laboribus. In mundo semper visus est ambulare, nunquam fere sedere, nisi forte eum doceret. Nunc tandem post fatigationem venit ad quietem: nunc tandem post diluvium passionis, mense septimo arca requievit super montes Armeniæ, Gen. VIII. Quo et nos evehere dignetur.

CONCIO V.

CUR IN DIE ASCENSIONIS CHRISTI FIAT MENTIO JUDICI?

I. Ut sciamus Christum esse hominem illum, qui peregre profectus. — II. Ut fides secundi adventus ejus confirmaretur. — III. Ut doceat qualis sit futurus secundus Christi adventus. — IV. Ut doceat spei timorem iniscendum. — V. Ad consolationem discipulorum.

THEMA.

Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Act. 1.

Sanctus Gregorius M. hom. XXI. in evang. ait ss. angelos læta nuntiare, quando albis vestibus induti nobis apparent. Sic enim de angelo illo, quem mulieres in monumento stola candida coopertum viderunt, scribit: *Stola candida coopertus apparuit, quia festivitatis nostræ gaudia nuntiavit. Candor etenim vestis splendorem nostræ*

denuntiat solemnitatis. Similiter loquitur super hodiernum evangelium, ho. XXIX. cur nimirum duo illi angeli in albis apparuerint, Christo ad cœlos ascendente. Sed nonne hodierna die quando ascendit Dominus, duo illi angeli amici vestibus albis, videntur nuntiasse tristia et terribilia. diem videlicet judicii? *Sic veniet*, inquit, *quemadmodum vidisti eum euntem in cœlum.* Quid hic aliud dicunt, quam quod dicturi sunt in judicio: *Surgite mortui, venite ad judicium?* Verum si nuntium istud recte expendamus, prosperum et bonum esse deprehendemus, uti nunc audiemus.

I. Faciunt igitur angeli judicii mentionem.

Primo, ut intelligamus Christum, qui modo ascendit, esse hominem illum, qui partitus est talenta servis suis et peregre profectus est in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti, uti legimus, Matth. XXV. et Luc. XIX. Quod enim ibi dixit servis suis: *Negotiamini dum venio*: hoc nunc per angelos repetit. Porro peregre ivisse dicitur. Primo, quia ut ait S. Gregorius, hom. IX. in evang. *Carnis locus proprius terra est, quæ quasi ad peregrinam ducitur, dum per redemptorem nostrum in celo collocatur.* Erat antea cœlum, Dei tantum et angelorum civitas, juxta id Ps. CXIII. *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum*: at vero ex quo Christus cœlum incolere cepit, factum est etiam civitas nostra, et quidem ex Christi meritis quæ designata fuere per triginta argenteos, quibus ipse venditus est, et emptus ager figuli in sepulturam peregrinorum. Nos isti peregrini sumus, quibus agrum figuli illius, qui de luto nos formavit, sanguine suo emit, ut merito nunc cœlum vocare debeamus *Haceldama*, seu agrum sanguinis. Secundo, quod reliquerit hominibus libertatem arbitrii vivendi pro libitu ac si absens esset; sed interim scire debemus eum reversurum et rationem negotiationis exacturum. Monentur proinde adstantes, ut mox ex illo tempore incipiant negotiari, unde aiunt angeli: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum?* q. d. quid moramini? Non jam tempus aspiciendi cœlum, sed lucrandi et faciendi quod vobis commissum est; maxime quia nescitis, qua hora sit venturus. Interrogabant quidem discipuli paulo ante: *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?* Sed respondit Dominus: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Quod si utile nobis fuisset scire adventum ejus, utique nobis dixisset; sed quia hoc potius noxium erat, noluit aperire. Si enim modo cum nesciamus diem et horam adventus ejus, adhuc tam ignavi sumus, et penitentiam ac bona opera de die in diem, de ætate in ætatem differimus, adeoque tempus nobilissimum pessime consumimus,

quid ageremus si sciremus diem qua nos ad judicium evocaturus est Dominus? Porro si notantur apostoli, quod paulo diutius stent Christum ascendentem oculis prosequentes, et non potius eant mox ad munus apostolicum sibi demandatum exequendum: qua nota digni erunt illi, qui otiosi stant in foro oculos circumferentes, et manibus sub pallio, in colloquiis tempus perdentes? Quam reprehendendi illi, qui multo sæpe tempore stant coram speculo donec se vestiant? Rursum qui in tabernis desident, et sinuat interim uxores ac liberos domi esurire?

II. Ut fides secundi adventus Christi in nobis confirmaretur. Etenim in novissimis temporibus incipient homines dubitare de adventu Christi ad judicium, eo quod tamdiu tardet; et hinc incipient magis scelerate vivere: sicut olim Hebræi, cum tardaret Moyses descendere e monte dicebant: *Moysi huic viro, ignoramus quid acciderit*, et propterea inceperunt vitulum conflare, edere et bibere, et ludere, Exod. XXXII. Et si credimus r. Salomoni, dæmon pheretrum Moysis in aere ostendit Hebræis, ut putarent eum mortuum. Ad hunc ergo modum etiam dæmon decipiet homines, quasi non sit venturus Christus, quo ad majorem peccandi libertatem eos provocet; sic enim II. Pet. III. dicitur: *Veniet in novissimis diebus in deceptione illusores juxta proprias concupiscentias ambulantes. Ubi est promissio aut adventus ejus?* Sequitur deinde: *Adveniet autem dies Domini ut fur.* Et quid ait Dominus, Matth. XXIV. *Si dixerit, inquit, malus servus ille in corde suo moram facit dominus meus venire, et ceperit percutere conversos suos, manducet autem et bibat cum ebriosis; veniet dominus, servi illius in die qua non sperat, et hora qua ignorat, et dividet eum partemque ejus ponet cum hypocritis: illic erit fletus et stridor dentium.* Videntur ergo dicere angeli ad tales: *Quid statis, o homines aspicientes in cœlum, et dicentes: Non veniet judicium? Ecce sicut ascendit verissime in oculis hominum, sic etiam redibit. Ut enim Moyses tandem cum furore descendit et tabulas confregit ac punivit prævaricatores, sic faciet et Christus.*

III. Ut doceat nos, qualis sit futurus secundus Christi adventus. Multa terribilia prædixit Dominus, de hoc adventu suo; sed ne quis forte diceret cum incredulis Judæis: *Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum*, ideo duo viri, angeli nimirum, testimonium huic veritati perhibent. In primis Christus improvise elevari cepit et ferebatur in cœlum: *Sic veniet, repente nimirum et improvise.* Secundo, novissime recumbentibus undecim subito apparuit, et expro-

bravit incredulitatem eorum et duritiam cordis: *Sic veniet* quando nimirum homines recumbent, edent, bibent, facientque sicuti in diebus Noe, tunc repente apparebit et exprobrabit reprobis duritiam cordis erga pauperes: *Esurivi et non dedistis mihi manducare*. Deinde, incredulitatem, quod nimirum credere noluerunt illud: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Tertio, ascendit benedicens suis discipulis et fidelibus: *Sic veniet*, dicturus ad electos: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, etc.* Quarto, ascendens alios assumpsit secum, ut angelos et patres e umbo eductos; alios in terra reliquit, ut apostolos; sic in illa die alios assumet, alios relinquet. *Dico vobis*, inquit Luc. XVII. *in illa nocte erunt duo in lecto uno; unus assumetur, et alter relinquetur: duæ erunt molentes in unum, una assumetur, et altera relinquetur: duo in agro, unus assumetur, et alter relinquetur*. Quinto, super nubem ascendit Dominus: *Nubes suscepit eum ab oculis eorum*, ait Lucas, Act. 1. *Sic veniet. Vidēbitis Filium hominis venientem in nubibus caeli*, ait Dominus. Sexto, ascendit Dominus congregatis in unum fidelibus: *Sic veniet*, congregatis videlicet omnibus populis in valle Josaphat, Joel. III. Denique, videntibus discipulis Dominus elevatus est; sic in illo die videntibus reprobis elevabitur cum electis, ad majorem illorum dolorem. Jam vero etiam istud monitum bonum et salutare est. Nam si sciamus, quid illo die eventurum sit, consulere nobis possumus ut bona nobis eveniant. Si scimus judicem venturum insperato, ergo studeamus omni tempore illum expectare cum oleo et lampadibus: si scimus venturum, quando homines edent et bibent, necnon exprobraturum malis duritiam cordis; studeamus vitare crapulam et vacare operibus misericordiae: si scimus ex amicis alios assumendos, alios relinquendos; adhortemur nos mutuo ad poenitentiam et bona opera, ut ne in illo die ab invicem separemur.

IV. Ut doceat spei timorem admiscendum contra haereticos et alios nimium sibi de misericordia Dei blandientes. Ascendens enim Christus naturam quidem humanam intulit in caelum, et loco ac nomine omnium electorum possessionem cepit, ac: *Quo praecessit gloria capitis, eo spes vocatur et corporis*, ait S. Leo, serm. 1. de ascens. Domini: non tamen idcirco securi esse debemus, quia prius ad iudicium citabimur, angelis id non testantibus. Ut enim prius transeundus erat Dommo torrens Cedron, quam veniret ad montem Oliveti, unde ad caelos ascendit: sic nobis prius transeundum est iudicium, quam attingamus caelum. Deus filios Israel traduxit per mare rubrum, magna quidem cum eorum fiducia, dum viderunt Deum

sibi adeo benevolum; sed non absque timore, dum viderunt aquas maris utrinque ad instar murorum consistentes, et si forte peccarent, in se reversuras, Exod. XIV. Ita vult etiam nos transire per hanc vitam, inter spem et metum; spem inquam vitae aeternae et metum iudicii; inter spem ne dejiciamur, inter metum ne praesumamus et contra Deum erigamur. Hi sunt duo axes in salutis biga; tolle axem spei, statim corruemus: tolle axem timoris, statim ad scelera proni ruemus.

V. Ad consolationem discipulorum Christi et tristitiam eorum lenendam. Non enim dubium, quin contristati sint vehementer ob Domini sui recessum. Si discipuli S. Martino morituro dicebant: *Cur nos, pater, deseris, aut cui nos desolatos relinquis? Invadent enim gregem tuum lupi rapaces*: multo magis dicere hoc poterant Christo discipuli, qui audierant mittendos se sicut agnos inter lupos. Quare sicuti pater a liberis discedens consolatur eos spe et promissione velocis reditus; sic fecit modo Christus per suos angelos. Videntur enim isti dicere: *Quid aspiciatis in caelum, et quid oculis vestris prosequimini abeuntem? Hujus consolationis participes sunt omnes electi, qui proinde orant quotidie: Adveniat regnum tuum*. Contra non libenter audiunt reprobi hoc verbum angelorum, quia iudicem formidant, quem contempsisse se meminerunt.

Quare, fratres mei charissimi, et desideratissimi, rogo vos per diem illum iudicii, quem hodie nobis annuntiarunt angeli; ita vos geritote, ut venientem iudicem cum desiderio expectare, et cum gaudio videre possitis. Amen.

CONCIO VI.

QUOMODO CHRISTUM PROSEQUI ET COMITARI IN COELUM QUISQUE DEBEAT.

I. Admiratione. — II. Gaudio et gratulatione. — III. Ferventibus desideriis. — IV. Contemptu rerum terrenarum. — V. Spe et fiducia. — VI. Timore. — VII. — Vitae innocentia.

THEMA.

Viri Galilaei, quid statis aspicientes in caelum?

Act. 1.

Quando arcam foederis induxit in civitatem suam regiam David, incredibile est, quanta cum laetitia, gloria et pompa eadem prosecutus sit. Congregavit enim omnes electos ex Israel, triginta millia virorum, qui comitarentur arcam; constituit cantatores in omni instrumentorum genere, qui epinicium ceu victoriale carmen accinerent; mactavit hostias; ipse coram arca praegaudio ludebat organis et saltabat totis viribus; uti legimus II. Reg. VI. et 1. Par. XV.

Hodie auditores, vera illa foederis arca, Christus, illata est in caelestem civitatem, ut ibi aeternum habitet. Nostrarum igitur partium est, ut arcae hujus deductionem quibus par est honoribus et gaudiis prosequamur. Et quia corporis gressibus prosequi non possumus, saltem animi affectibus debemus; qua etiam ratione discipul procul omni dubio Christum ascendentem prosecuti sunt cum mente post ipsum rapti caelum continuo intuiti, et quasi ab eo suspensi haerebant. Solet multis in locis effigies Christi resuscitati, ad instructionem plebis, hodierna die evehi in templo supra ejus fornix; sed haec solum typica et rudis quaedam deductio est, rudi solum plebeculae et pueris conveniens. Nos qui velut adulti non amplius lacte nutrimur, solidiori ac praestantiori pompa Christum deducemus praclaris scilicet virtutum actibus, piis quoque affectibus, uti nunc audiemus.

I. Ascendentem Christum prosequi debemus admiratione. Nihil enim simile ab ortu mundi ad ea tempora visum est unquam. Finxere quidem Romani suos imperatores aliquos ad caelum ascendisse: sed finxere, non videre, ideo aquilam rogis eorum includere, quae ad volatum inde emissa hominibus persuaderet, imperatorem redivivum ad caelos abiisse. Subornarunt eorumdem Romanorum senatores Proculum quemdam, qui testaretur visum sibi Romulum ad caelos ascendisse; sed id tam vanum est, ut Tertullianus contra Marcion. dicat: *Romulus scalis mendacii ascendit in caelum*. Henoeh et Elias rapti sunt in paradisum: ad caelum nec venerunt, nec ascenderunt. Tentavit hunc volatum Simon magus, sed precibus S. Petri dejectus est ex aere pessimus impostor et tam gravi casu terrae illisus, ut: *Qui pennas assumpserat, subito plantas amitteret*, inquit S. Maximus: Christus igitur solus vere et visibiliter ac propria virtute ascendit; unde recte Ecclesia hanc ascensionem vocat *admirabilem*; maxime quia et ipsi angeli eam admirantur, Isa. LXIII. *Quis es iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae? Et Psalm. XXIII. cum dictum esset angelis: Attollite portas, principes, vestras et elevamini portae aeternales, et introibit Rex gloriae*, respondent illi: *Quis est iste Rex gloriae? q. d. inauditum et novum est hoc, hominem ascendere ad caelos non tamquam hospitem, sed Dominum. Quare si descendente manna Hebraei dixerunt: Manhu? Quid est hoc? multo magis hodie dicendum ascendente Christo. Videte, Christiani, quam magnum, quam potentem habeamus Dominum: et quam merito ei acclamemus cum Davide: Domine Dominus noster, quam admirabile est no-*

TOM. III. — PARS FESTIVALIS.

men tuum in universa terra? Quoniam elevata est magnificentia tua super caelos. Psal. VIII.

II. Gaudio et congratulatione propter ipsius gloriam, quam ei gratulari tamquam patri nostro debemus. Unde ait Dominus: *Si diligere me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem*. Quando audivit Jacob, Joseph filium suum vivere et dominari universae terrae Aegypti, revixit spiritus ejus et dixit: *Sufficit mihi si adhuc Joseph filius meus vivit, vadam et videbo illum antequam moriar*, Genes. XLV. Quanto igitur gaudio perfundi nos decet hoc die, quo nobis nuntiatur Christum fratrem nostrum evectum ad caeli regiam dominari caelo et terrae? Ipse enim dixit: *Ascendo ad Patrem meum et patrem vestrum*, Joan. XX. Gaudium hujus festivitatis nuntiaverunt nobis angeli, qui in albis vestibus (quae laetitiam praeseferunt) discipulis apparuerunt, cum ascendit Dominus. Festivitas autem haec nostra est potius quam angelorum; indicat enim nuptias Christi cum Ecclesia hodie inchoatas esse in caelo: et sicut amici sponsi gaudent propter sponsum et ad ejus honorem festive se adornant; ita fecerunt angeli, nos interim admonentes, ut idem et multo magis faciamus, quoniam ad easdem nuptias nos quoque expectamur.

Quod si ita a nobis recessisset Christus, ut nos desertos relinquere, possemus forsitan contristari, et dicere ei: *Cur nos, Pater, deseris? Aut cur nos desolatos relinquis? Invadent enim gregem tuum lupi rapaces*. At hoc non possumus dicere; quia ita a nobis recessit, ut simul nobiscum maneat: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi*, inquit.

III. Ferventibus desideriis, juxta id apostoli ad Colos. III. *Quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens*. Sane Jacob, ut diximus, cum audisset filium suum charissimum Joseph, vivere, et dominari in Aegypto, tanto incensus est illius videnti desiderio, ut migrare ad eum constituerit, cum tota domo sua, non habita ratione senectutis suae (erat enim 130. annorum) nec itineris molestia, nec mutandae domus et familiae difficultas eum absterere poterat; tanta erat vis amoris. Quare si hoc potuit amor in patriarcha, qui praeter illum Josephum alios plures habuit filios: cur non idem et plus in nobis possit amor Christi unici nostri patris? *Ubi est thesaurus tuus*, ait Dominus, *ibi est et cor tuum*, Matth. VI. Cum ergo thesaurus noster in caelo sit, ibi etiam fixum sit cor nostrum, si vere Christum amemus. Hinc orantes ad orientem convertimur, quia Christus: *Ascendit super caelum caeli ad orientem*, Psalm. LXVII. *Quasi nos adhuc teneant desideria ascendentis*, ut ait S. Aug. tom. IV. l. II. de serm. Domini in monte,

e. IX. Lingula semel effricata magneti, semper ad septentrionem se vertit, nec quiescit prius quam ipsi se obvertat, quia et magnes ipse ibi sedem suam habet. Nos omnes in baptismo Christo affricati sumus ejusque sanguine tincti; quare inquietum semper debet esse cor nostrum, donec requiescat in Christo.

IV. Contemptu rerum terrenarum, uti monet etiam apostolus, ad Col. III. *Quæ sursum sunt sapite*, id est, cum gustu quærite, non quæ sunt super terram. Quemadmodum enim uxor amatissima sui mariti, ubi illum perdidit, nihil amplius in mundo reperit, quo recreetur, non adit convivia, non nuptias aut choreas, non vestitur multicoloribus sed nigris tantum: et sicut turtur amisso compare, non assumit alterum, nec super ramum viridem sedet, nec aquam puram bibit, gemitum pro cantu edit, ad solitudinem se recipit, et hominum conspectum fugit, solitaria incedit; ita facere nos deceret, postquam et sponsum nostrum unicum amisimus et in cælo constitutum cernimus. Unde S. Gregorius, in hom. super hodiernum festum et evangelium ait: « Fratres charissimi, oportet ut eum sequamur corde, ubi eum corpore ascendisse credimus. Desideria terrena fugiamus: nihil nos jam delectet in infimis, qui Patrem habemus in cælis. » Eo respexit in spiritu David, Psal. IV. dicens: *Filii hominum, usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium? Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum; Christum scilicet de quo dicebat dæmon: Scio qui sis, sanctus Dei.* Ut exponit ibi card. Bellarminus: *Peto a te, nate,* (dicebat uni filiorum mater septem Macchabæorum, II. Macch. VI.) *ut aspicias ad cælum et terram.* Peto a vobis auditores, ut aspiciatis ad cælum quo ascendit Christus, et ad terram, ubi nos degimus. Quid hæc respectu cæli? Punctum est, nihil est; et tamen pro hoc puncto adeo contendimus. Contra: *O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus!* ait Baruch. Rursum: *Hæc quam sordet tellus, cum cælum aspicio!* dicebat S. Ignatius Loyola. At nos miseri mortales velut talpæ terræ inhiamus et terram perforamus, ac domos velut talparum tumulos erigimus; cum tamen ea omnia brevi mors sit vastatura. nosque veluti talpas insidiis captura et ejectione terra. Interim de cælo, vera nostra patria, nihil cogitamus. Nimirum uti infans regius in carcere natus et educatus, nihil unquam de paterno regno cogitat, sed in carceris angustus acquiescit, jocatur, ludit: ita et nos mortales in hoc mundi exilio, cum cælo nati sumus.

V. Spe et fiducia, quod ipsum aliquando secuturi simus; siquidem ipse dixit: *Vade parare*

vobis locum. Et quasi eum locum jam obtinere-mus, ait apostolus ad Eph. II. *Consedere nos fecit in Christo in cælestibus.* Quia, ut S. Leo inquit: *Quo præcessit gloria capitis, eo vocatur et spes corporis:* et S. Greg. hom. prædicta: « Quamvis adhuc, inquit, rerum perturbationibus animus fluctuet, jam tamen spei vestræ anchoram in æternam patriam figite, intentionem mentis in vera luce solidate. »

VI. Timore. Idcirco enim angeli eundem venturum judicem monent. Fratres Josephi vehementer consternati sunt, quando viderunt Josephum dominari in Ægypto, qui nimirum recordabantur sceleris sui, quod in eum patrarant, unde metuebant, ne a tam potenti vindice plecterentur. Nos fratrem in cælo habemus, Christum omnium potentissimum: sed vae nobis si eum offenderimus, quia sic veniet, ad judicium scilicet eum simili potentia et majestate sicuti ascendit ad cælum. « Qui placidus ascendit, terribilis redibit, ait Greg. ubi supra, et quid nobis cum mansuetudine præcepit, hoc a nobis cum districtione exiget. Nemo ergo indulta poenitentiae tempora parvipendat. Nemo curam sui dum valet agere, negligat; quia redemptor noster tanto nunc in judicium districtior veniet, quanto nobis ante judicium magnam patientiam prærogavit.

VII. Vitæ innocentia juxta id Psal. XXIII. *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Ideo angeli monent: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum?* q. d. quid hic moras neclitis et manum in sinu ponitis? Ad laborem, ad vineam ite et gloriam hanc mereamini. Galilæi, id est, peregrini estis, ad iter vos accingite. Hinc Christus Galilæus et primi Christiani a gentilibus Galilæi, id est, transmigrantes vocati; nec falso, quia non quærimus hic manentem civitatem, futuram inquirimus. Si ergo sequi ad cælum euntem volumus, sequi etiam præeuntem in virtutibus debemus. Sic enim religiosi, qui volunt beatitudinem suorum fundatorum assequi, regulam eorundem observare debent. Alioquin frustra dicitur quis Franciscanus vel Benedictinus, qui eorum regulas minime observat; cujusmodi monachos, fratres muscas vocabat S. Franciscus. Similiter frustra dicimur Christiani, si Christum non imitamur. Si videretis aliquem monachum sæculariter viventem, frequentantem tabernas, choreas, ludos, etc. illico diceretis: Iste non est monachus. Ergo nec tu Christianus, qui non vivis christiane, sed Judaice vel ethnice. Pro certo igitur habetote, quia nihil coinquinatum intrabit in regnum cælorum, Apoc. XXI. *Nam cum bonitatis auctore non ascendit malitia,* ait Agust. sermo CLXXVI. *nec cum magistro humilitatis superbia.*

nec cum filio Virginis libido atque luxuria. Non inquam ascendunt vitia post virtutum parentem, nec peccata post justum, nec infirmitates ac morbi possunt ire post medicum. Aquila non educit ad volatum et prædam pullos suos, donec exitis putridis pennis solidas induerint. Pari ratione Christus naminem in cælum ad prædam gloriæ admittit, nisi prius deposita vitiorum putredine in virum perfectum adoleverit. Unde S. Ambros. I. V. in Luc. ait: « Tenera corporis cura luxuræ et lasciviarum cupiditate mollitos nequam cælestis aula suscipit, ad quam duris laboriosæ virtutis gradibus ascenditur. » Cui consentit S. Hieron. in ep. ad Paulam et Eustochium scribens: *Aula cælestis suscipit nisi sanctos, simplices et justos.* Quando ergo, ex trium Ecclesiæ doctorum unanimi consensu, non suscipit aula cælestis homines vitiosos, sanctos requirit et laboriosos, opus est ut evigilemus et nos ipsos examinemus, an habiles et idonei ad aulam illam simus, etc.

CONCIO VII.

VIA ET RATIO AD COELOS ASCENDENDI POST CHRISTUM.

I. Eundem in Bethaniam: 1. Velut in domum obedientiæ. 2. Velut in domum afflictionis. — II. Ascendendum in montem Oliveti: 1. Per desiderium cælestium bonorum. 2. Per victoriam sui ipsius. 3. Per patientiam tribulationum. 4. Per considerationem. 5. Per bonorum operum studium.

THEMA.

Dominus quidem Jesus postquam locutus est eis, assumptus est in cælum. Marci XVI.

Magnus ille propheta Elias, quando curru igneo raptus discessit ab Elisæo discipulo suo, decidit ei pallium, sicut testatur Regum historia, I. IV. c. II. et remansit Elisæo. Neque hoc fortuito contigit, quasi videlicet propheta minus diligenter id servasset; sed magno Dei consilio, ut quoties Elisæus pallium Eliæ videret, parentis sui subiret memoria, et seipsum ad illius exprimendam imaginem incitaret. Simile quidam accidit, quando Christus ad coelos ascendens, recessit a discipulis suis. Remanserunt enim in pretroso monte, cui tunc insistebat, impressa pedum ejus vestigia, quæ nulla ratione tot sæculis deleri potuerant, ibique etiamnum inter medios licet Turcas visuntur, quamvis peregrini ea crebro radere devotionis causa soleant, sicut testantur receptiores geographi, et peregrini terræ sanctæ: et quoad antiquiora sæcula S. Hieronymus, in locis Hebr. S. Paulinus ad Severum, ep. XI. Beda de locis sanctis, c. VII. Ad hæc cum eodem loco rotundum et magni-

cum templum ad honorem ascensionis postea erectum esset a S. Helena matre Constantini Magni, quod ea Christi vestigia in se includebat, tectus illius ea parte, qua Christi corpus ascendit, nunquam contegia ut concamerari potuit, sed transitus ejus e terra ad cælum usque semper apertus mansit, uti scribunt locis citatis S. Hieronymus et Beda. Quid vero per hoc, auditores quid aliud sibi Christus voluit, nisi monstrare nobis primo, viam cæli in vestigiis suis, deinde, invitare nos ut iis insistentes post ipsum ascenderemus; siquidem ipse viam cæli ita nobis aperuit, ut semper adhuc pateat omnibus et singulis? Jam ergo qua ratione insistere ejus vestigiis, qua via post eum ascendere possimus, videamus.

I. Eundem est in Bethaniam, siquidem Christus ascendens ad coelos, discipulos suos eduxit foras in Bethaniam, Luc. XXIV. Bethania autem significat domum obedientiæ, et domum afflictionis; representat vero Ecclesiam, in quam educi debet, quisquis ad cælum tendit, et primo, tamquam in domum obedientiæ, ut pareat superioribus et patiatursese duci ad etiam ea quæ non capit, vel alioquin fugit. *In obedientia enim,* inquit S. Hieron. in reg. monial. *summa virtutum clausa est; nam simplici gressu hominem ducit ad Christum.* Hinc Christus suos fideles vocavit et vocari voluit oves, quæ totæ a pastoris ductu pendent et sine eo mox aberrant. Sic Joan. ultimo committens Ecclesiam Petro, ait: *Passce oves meas.* Ac ne ipse Petrus ab omni prorsus obedientia immunis esset, addit mox: *Cum senueris, alius te cinget, et ducet, quo tu non vis.* In primis vero obediendum est Romano pontifici tamquam summo Ecclesiæ pastori. Nam, ut dicebat Angliæ rex Osuvi, apud ven. Bedam, I. III. c. XXV. « Hic est ostiarius ille, cui contradicere nolo: sed in quantum novi, vel valeo, hujus cupio in omnibus obedire statutis, ne forte me adveniente ad fores regni cælorum, non sit, qui reseret, averso illo, qui claves tenere probatur. » Deinde, cæteris inferioribus Ecclesiæ pastoribus, quibus unusquisque subest. Primum donum quo desponsavit servus Abrahæ Rebeccam Isaac, fuere in aures aureæ, Gen. XXIV. et prima virtus, qua desponsantur Christo fideles, est obedientia. Unde baptizans tangit sacro oleo aurem baptizandi dicens: *Ephphetha,* quod est, *aperire.* Has in aures Hebræi sibi detraxerunt et dederunt in conflaturam aurei vituli, ideoque reprobati sunt a Deo, nec amplius vocati populus ejus, sed Moysis: *Peccavit populus tuus, etc.* Exodi XXXII. Nos ergo in aures istas nec abjiciamus, nisi a cælo excludi, et atque velimus a Deo. *Nec male Bethania vocatur domus obedi-*